via quædam universalis, ducens nos per indicationem in notitiam agendorum: Gal. 4. M. M. c. 4. inquirenda sunt agenda in hoc Methodo, à quibus nobis insinuantur.

CAPUT II.

Quêi cognoscatur, simplex medicamentum egere mixtione.

ILlud primò tenendum: methodum componendi circa simplicia versari. *Avic. lib 1. in princ.* Simplicia inquam: non modò quæ arte non sunt commixta, sed etiam quæ semel composita ulterius componuntur. Quare in hoc differt à methodo medendi; quod hęc circa remedii inventionem, rectumque usum: illa circa remedii materiam, ejusq; mixtionem artificiosam occupatur.

Undè verò noscatur pharma-

cum cum alio permiscendum, docet *Gal. 3. de Comp. med. per gen. 2.*, adserens; pro vehementia cujusq; pharmaci proportione miscendorum facultatem inveniri; modò simplicium omnium temperamenta, & quæ ipsa consequuntur, rectè percepta sint.

Cùm igitur compositio non utamur, nisi cum simplex deest, quo mala corporis dispositio corrigi queat; non est quodlibet *cum alio miscendũ, sed cum eo tantùm, à quo nanciscí potest*, per compositionem, integram virtutem juvandi. *Gal. 2. de Comp. per gen. c. 1.* Quod ut cognoscatur, constare nobis ante omnia oportet, qua in re simplex deficiat, ut alterius ejusdem virtutis commistione defectui occurramus.

Quia ergò omne medicamentum agendo corpus afficit, & sic ab alimento differt, cujus proprium est,

est, à corpore magis pati & superari: ex conditionibus ad actionem requisitis non erit arduum investigare, qua parte simplicis medicamenti actio deficiat.

Quatuor ergò requiruntur ad actionem alterationi motuiq; locali conjunctam, de qua heic sermo: quibus positis ac remotis, impedimentum fieri non potest, quin actio naturaliter sequatur.

1. Requiritur *virtus activa*, Quia actio est motus patientis ab agente: estque omnis actus activorum. 2. *de anima* 24.

2. Requiritur *passi dispositio*. nam actus activorum est in disposito patiente. *Ar. ibid.*

3. *Adplicatio agentis ad passum*: sive ea per contactum corporum fiat, sive per contactum virtutis, ex directa distantia. Etenim cùm virtus agentium naturalium finita sit; non potest per quamcunq; distantiam

diffundere actionem ad passum: sed unumquodq; operatur ad certam distantiam, quam *sphæram activitatis* vocant.

4. Demùm *Tempus*; quia cùm in omni actione naturali, corporeaq; agens repatiatur, sitq; agentis finis adsimilatio passi; non potest unico instanti superari resistentia passi, fierique adsimilatio cum passo: sed certum requiritur tempus, brevius aut longius, prout agens fortius fuerit, passiq; resistentia cum agente major aut minor.

Ex quibus conditionibus ad agendum requisitis, ob passi dispositionem, nulla est medii componendi necessitas: siquidem deploratis, & ad actionem medii nullatenus dispositis nemo remedium adhibet. 1. *M.M.c.9.*

Quare triplici de causa necessarium est, insufficiens reddi simplex medicamentum, ac indigere compo-

si-

positione; vel potentiæ agentis vitio: vel quia non adplicatur passo: vel quia adplicatum tàm diu non moratur, ut edere suam actionem possit.

CAPUT III.

Qua ratione miscendum simplex, quod non juvat vitio facultatis.

QUod ad agendi potentiam, vel medicamentum eâ caret: vel si habet, fortior est debitorve, quàm usus postulet: vel habet plures, quàm curando affectui conveniat. *Aver. 5. collig. c. 57.*

Caret facultate agendi; vel quia ipsam non habuit, vel quia amisit, vel amittere potest. *Amittere* autem potest, vel quia ad mixtionem dissolvuntur vires medicamenti, tenuioribus partibus evanescentibus: & tunc miscemus conservans